Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8457
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



Feria sexta in die parasceuen hora competenti induant se sacerdotes et ministri casulis nigris (si habentur) alias simpliciter in albis absque luminaribus et incenso cum silentio ad altare procedant ubi omnes prostrati diutius orent. Interim autem ministri unam tantum tobaliam mundissimam extendant super altare nudum. Completa vero oratione sacerdos deosculato altari ascendat sedem: et unus de maioribus incipiat lectionem sine titulo.

In tribulatione sua mane consurgent ad me dicentes. Venite et revertamur ad dominum quia ipse cepit et sanabit nos; percutiet et curabit nos. Vivificabit nos post duos dies: in die tercia suscitabit nos. Et vivemus in conspectu eius: sciemus sequemurque ut cognoscamus dominum. Quasi diluculum preparatus est egressus eius: et veniet nobis quasi imber temporaneus et serotinus terre. Quid faciam tibi ephraym? Quid faciam tibi iuda? Misericordia vestra quasi nubes matutina; et quasi ros mane pertransiens. Propter hoc dolavi in prophetis: et occidi eos in verbis oris mei. Et iudicia mea quasi lux egredientur: quia misericordiam volui et non sacrificium, et scientiam dei plus quam holocaustum.

Omne audivi auditum. tractus.

tuum et timui consideravi opera tua et expavi. ℣. In medio duum animalium innotesceris dum appropinquaverint anni cognosceris dum advenerit tempus ostenderis. ℣. In eo dum conturbata fuerit anima mea in ira misericordie memor eris. ℣. Deus a lybano veniet et sanctus de monte umbroso et condenso. ℣. Operuit celos maiestas eius et laudis eius plena est terra. dicat sacerdos. Oremus. dyaconus. Flectamus genua. Levate.

Deus a quo et. oratio.

Iudas reatus sui